



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac  
Apostolica Historia**

**Steinhart, Franz**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90104692**

Amon, Rex Juda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

ses. 4. Reg. 23. v. 26. Et alibi: *Quia fecit Manasses Rex Juda abominationes istas pessimas, & peccare etiam fecit Judam in immunditiis suis: Ecce ego inducam mala super Jerusalem & Judam: ut quicumque audierit, tinniant amba aures ejus.* 4. Reg. 21. v. 11. & 12. Prædixit idem Propheta vastationem eorundem Chaldaeorum, quæ deinde facta est per Medos & Persas, & tandem prædixit adventum Christi, passionem, & resurrectionem, & secundum adventum in gloria.

Tobias obit  
in Ninive.  
Tob. 14.

Quadragesimo Regni Manassis anno Tobias, cum filio ac septem nepotibus cæterisque monita salutis dedisset, timoremque DEI ac præcipue beneficentiam in pauperes inculcasset, obiit in Ninive in senectute bona ac plenus bonorum operum ac meritorum.

Manasses  
moritur.  
4. Reg. 21.  
v. 18.  
2. Par 33. v. 20

Demum exactis quinquaginta quinque Regni annis etiam Manasses vivendi finem fecit, sepultusque est *in horto domus sue.* Et regnavit Amon filius ejus pro eo.

## Amon, Rex Juda.

Ab An. 3339.  
Impius altero  
Regni anno  
Interficitur.  
4. Reg. 21.  
à v. 19.  
2. Par. 33.  
à v. 21.

Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset. Ab impiis Aulicis vivo forsitan adhuc Patre corruptus maluit Parentis Juvenis & in omnem impietatis turpitudinem projecti exemplum sequi, quam ejusdem resipiscens vestigiis inhærere. Itaque Idololatriam à Patre relegatam iterum ab inferis excitavit, & *dereliquit Dominum DEUM Patrum suorum.* Verum citò impietatis suæ pœnas dedit; nam altero Regni anno *tetenderunt ei insidias servi ejus, & interfecerunt Regem in domo sua.* Qui quidem manus tuas regio sanguine haud impune cruentârunt; nam conjurati omnes interfecti sunt, sepultoque in mausoleo Patris Amone Josias Amonis filius octennis ab universo populo in solium Davidis evectus est.

## Josias, Rex Juda,

Ab An. 3341.  
Adolevit ad  
omnem vir-  
tutem.

Josias à pueritia sapiens, indole optimâ atque ad virtutem natus fecit quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David Patris sui: non declinavit ad dexteram  
sive